

res & auditores, seu ut plerique Novatores stylo Thomasio loqui amant, ad excitandam Papalis fermenti suspensionem inter Clericos & Laicos, apud nos adhuc retinendum esse, ministerium N. T. a Christo institutum evincit & corroborat.

§. XII. *Consistoria sive Senatus Ecclesiastici*, ut ab Ecclesia per Principem inter Protestantes constituuntur, ita suam originem Pontificiis reliquiis minime debent, quod tamen inter alios quidam JCtus Halensis *in der Einleitung zum Consistorial-Process*, cap. 2. & 3. multis non pertinentibus argumentis demonstrare frustra laboravit. Largimur, Ecclesiam, ut fundata est, Jure divino neque jus gladii, neque jus fori contentiosi, neque proinde propriam & in sensu strictiori sumtam jurisdictionem habere, quae sit externe coactiva, & coercitiva, ad bonum tamen ordinem, tum in Ecclesia, tum in Republica faciunt, si distincta ab reliquis secularibus, & singularia constituantur judicia, in quibus & Personae Ecclesiasticae conveniri queant, & res ac causae Ecclesiasticae disceptentur. Idque utiliter & prudenter post Reformationem etiam in terris Protestantium receptum est, ita tamen, ut ea ab ipso Principe, cujus est territorium, constituantur, & in iis etiam, quae ipsa sacra interna, & potestatem ordinis immediate non attingunt, dependeant. Conferatur B. D. Casparis Ziegleri *Praelect. in Decretales* p. 17. seq.

§. XIII. *Quarto* autem Doctrinam nostram de CONIVGIO, quam in Compendiis nostris tractari & doceri aegerrime ferunt Adversarii, plerasque Conclusiones ex hypothese Pontificiorum & Juris Canonici: *matrimonium esse Sacramentum*, petere ac deducere, arbitrantur THOMASIVS in *Cautelis circa Jurisprud. Eccles.* BOEHMERVS in *usu moderno Decretalium* p. 143. & in *not. ad Schilterum* p. 769. & WOLFIVS in *Instit. Jurispr. Eccles. L. II. c. 16. p. 799*, sed solidissime haec omnia

K

quoad